



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 17. Bellum Megapolitani ducis adversus Magdeburgenses.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

Sæcul. XVI. fine, ut illam, priusquam promulgaretur, omnibus Augustæ congregatis exhibere, cunctosque Principes ad eam acceptandam, simulque ad decretum recipiendum adstringere posset. Accepto hoc Cæsaris responso Romæ agebatur de mediis, quibus huic Principi satisfieri posset (*).

§. XVII.

Bellum Megapolitani Ducis adversus Magdeburgenses.

Sleid. p. 788. *Thuan. l. 6. p. 294.* Interea bellum, quod Brunsvicensis Dux inchoaverat, in Saxonia continuato studio fervebat; nam hujus Ducis aliunde ad concitandas turbas nati ausibus obsistere oportebat, præcipue eo tempore, quo pacem conservare, permagni intererat, ne grave Synodi celebrandæ negotium interturbaretur. Ceterum Dux jamjam Brunsvicum cinxerat, illiusque expugnationem vehementer urgebat, cum inopinate Cæsar arma ponere, causamque coram se dicere, utrique parti præciperet. Equidem hæc

(*) Quam subdole Continuator hæc absque ullo teste, ac Scriptore allegato protulerit. prudens Lector ex Historiæ progressu observabit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1550.

hæc Cæsaris jussa Duci permolesta ac-
ciderant, paruit tamen, fecitque millio-
nem militibus suis, quos illico Geor-
gius Megapolitanus Dux in fidem suam
recepit, ut sollicitante Clero, qui illatas
a civibus injurias ulcisci parabat, Mag-
deburgensibus bellum inferret; cum e-
nim Albertus Brandenburgicus paulo
ante e vivis excessisset, eidemque non-
dum Successor esset subrogatus, hinc
Ecclesiastici Georgio polliciti sunt, quod
ipsum tanquam totius Provinciæ Prin-
cipem salutare, eique tres præcipuas
urbes Vancelebum, Drielebum, & Wol-
merstadium scriptotenus oppignorare
vellent: Igitur Dux primo per Halber-
stadensem agrum profectus in Magde-
burgensem ditionem postea pervenit, ubi
Vancelebum cepit, ac die decima se-
ptima Septembris incendit, cum vero
arcem incassum oppugnare tentaret,
promotis castris totam regionem fer-
ro, flammaque devastavit: quapropter
cives æque, ac rustici his rapinis per-
territi, Magdeburgici Senatus opem im-
plorabant, polliciti, quod nec vitæ, nec
bonis suis parcere velint, dummodo
hostium furori haud impune expone-
rentur. Ergo Senatus diem illis vige-
simam primam Septembris constituit,
qua una omnes armis, equis, ac plau-
stris instructi in præfixo loco conveni-
rent.

Sæcul. XVI. rent. A.C. 1550. Comparant illi unacum Magde-
 burgenſibus, præſtituta die, atque una-
 omnes Wolmerſtadii duobus ab urbe
 milliaribus caſtra metantur: altera au-
 tem die antelucano tempore motis ca-
 ſtris ad hoſtem, qui Hilderslebbii ſub-
 ſtiterat, recta contendunt: mox vero
 Georgius Dux explorata hoſtis ſui acie,
 ne a fronte invaderetur, repente con-
 verſis ordinibus agricolas, nec ſatis ar-
 matos, minus autem ad pugnam expe-
 ditos a tergo circumdat, eosque tan-
 to impetu adoritur, ut, ſtatim, prius-
 quam primi ordines opem ferre poſſent,
 quamplurimi jamjam cæſi, & reliqui
 in fugam acti eſſent, adeo, ut illi, qui
 adhucdum in acie perſtiterant, a cir-
 cumfuſa fuorum etiam ſociorum tur-
 ma abrepti hoſti eos undique infeſtan-
 ti haud ultra reſiſtere poſſent, unde eo-
 rum quamplurimi miſere trucidati, ce-
 teri vero capti fuere, paucis natando
 mortem effugientibus.

§. XVIII.

*Magdeburgum obſeſſum, ac pro-
 pugnatum.*

*Thuan. l. 6.
 p. 195.*

Poſtridie Mansfeldius Comes ſuppeticas
 allaturus ad caſtra pervenit, nec mi-
 nus acceſſerant quoque Electores Bran-
 deburgicus, & Mauritius de Saxonia,
 præ-